



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 2. Aliorum sententiæ. circa essentiam materiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

eamdem rationem habet materiae respectu equi, cuius formam recipit, & hominis cuius formam non recipit; & eandem haberet, etiam si non reciperet modum vnionis, eodem enim modo componitur per modum partis materialis vnione creatâ ac componitur modò, vnione eductâ, & eandem compositionem haberet totum: ergo ad hanc speciem atomam compositionis non pertinet eductio formæ, neque modi vnionis: ergo ad hanc pot. entiam componendi speciem infimam à reliquis distinctam non pertinet potentia receptiua formæ, neque modi vnionis. Repe- te discursum propriam conclusionem confectum.

13 TERTIA CONCLUSIO. Ad conceptum metaphysicum materiae primæ vt sic, neque huius materiae, quæ de facto datur, non pertinet potentia recipiendi formas accidentales, neque illas sibi vniendi. Probo: materia prima tam potentia vniuiua quam receptiua primariò refertur ad formas substantiales, & ad tota substantialia per illas constituta, & secundariò ad formas accidentales: sed in illo primario conceptu elucet tota ratio adequata constitutiua materiae, per quam differt à forma, quia omni secluso accidenti, materia diuerso modo constituit totum substantiale, quàm forma: ergo respectus ille posterior ad formas accidentales non pertinet ad conceptum metaphysicum materiae primæ vt sic, neque materiae, quæ de facto datur, neque alicuius possibilis, quia quæcumque illa sit, debet primariò respectum dicere ad aliquam formam substantialem, & aliquid totum per illam constituendum, in quo respectu tota ratio metaphysica talis materiae constituitur.

14 Probaui potentiam receptiuam formarum, neque vnionum non esse de essentia materiae, superest tamen grauis explicanda difficultas: quomodo materia à forma differat, & per quæ prædicata formaliter constituitur in ratione materiae, quia conceptus terminandi vnionem communis est materiae, & formæ, & ita videtur non posse materiam per illum constitui: quod aliorum præmissis, & impugnatis sententiis §. 2. circa materiae essentiam, §. 3. explicabo.

## §. II.

### Aliorum sententia circa essentiam materiae.

15 Sentiunt multi materiam metaphysicè constitui, & distinguì à forma per virtutem receptiuam formarum, vel modi vnionis, quos satis impugnatos habeo §. præcedenti, vbi probaui virtutem receptiuam formarum, aut vnionum non esse de essentia materiae metaphysicè loquendo. Addo quod etiam si illam pertineret virtus receptiua modi vnionis non posset esse vltima differentia constitutiua materiae, quia potest materiae, & formæ conuenire, multi enim satis probabiliter docent modum vnionis recipi in forma, & posse dari compositum, cuius forma modum vnionis recipiat, certum mihi est.

16 Respondet Hurtadus disp. 2. sect. 2. materiam talem constitui, & dici subiectum, quia forma illi communicat suum effectum formalem, & denominationem dat, sicut Sapientia constituit intellectum sapientem, & albedo parietem album. Non acquiesco, neque aliquid video, quod rem explicet. Hurtadum impugno. Sicut forma communicat suum effectum formalem materiae, & dicitur informatas; sic materia potest dici communicare effectum materiale formæ, & materiata dici. Ergo non est maior communicatio effectuum materiae ad formam, quàm formæ ad materiam: ergo ex hoc capite hæc entitates inter se non differunt. Dices, communicationem esse mutuam, diuersæ tamen rationis, quia forma communicat materiae esse informatam, quem effectum non communicat formæ materia, esto materiata illam constituat. Contrà: formam communicare materiae effectum formalem, & illam constituere informatam supponit iam formam constitutam in esse formæ & ideo materia hunc effectum non communicat, quia non est forma: ergo antequam hunc effectum formalem communicet forma, concipitur iam quasi illum in se habens, & forma constituta: per quid ergo forma talis constituitur, potensque effectum formalem communicare.

17 Vrgeo, ex duobus extremis, quorum vnum voces materiae, alterum formam, vtrumque eodem modo terminat vnionem, vtrumque est compositum essentiale, quare ergo hoc, quod formam vocas, effectum formalem communicat alteri, & non alterum huic? quid est speciale in his ex-

tremis, propter quod vnum effectum formalem communicet alteri, quem alterum illi non communicat? Crescit difficultas iuxta doctrinam Hurtadi, quem impugno. Afferit posse dici albedinem parietatam per vnionem ad parietem, sicuti paries dicitur dealbatus per vnionem ad albedinem: Quare ergo parietem esse dealbatum, erit formalis effectus, & albedinem esse parietatam effectus formalis non erit. Neque quod addidit Hurtadus de denominatione quidquid lucis habet, quia denominatio supponit fundamentum, de quo ego inquiri, quid sit? prius enim est albedinem esse formam, quàm subiectum denominare, ideo enim albedo denominat subiectum, quia est forma, & ideo subiectum non denominat albedinem, quia est purum subiectum, & non forma. Addo in sententia Hurtadi, æquè posse formam denominari per subiectum, quàm subiectum per formam, quia vt ex illo referebam, sicut dicitur paries albus per vnionem ad albedinem, potuit albedo parietata per vnionem ad parietem appellari.

Arriaga disp. 2. sect. 3. subf. 2. dicit rem esse difficiliorem quam aliqui excogitantur & vix ipsum videre, quid respondere possit. Deinde asserit, quod quando duo ita inter se vniuntur, vt vnum se habeat quasi antecedenter, & præuise ad aliud, aliud verò illi superueniat; illud, quod antecedit dicitur recipere; illud verò quod superuenit, recipi, & complere dicitur, sicut fundamenta, à quibus domus incipit, adificio subiucant. Addit hinc facile explicari, quomodo materia prima sit subiectum omnium formarum, & non è contrà, quia præsupponitur ipsa materia prius naturâ ad omnes formas, etiam ad rationalem, non verò è contrà. Propriis verbis Arriagæ sententiam retuli, propriis iam refello.

Tota difficultas huius quæstionis orta est propter animam rationalem, quæ à materia prima non dependet tantum à subiecto inhesionis, si enim dependeret, sicuti dependet forma equi, non distingueremus subiectum inhesionis à subiecto informationis. Inquiri ergo quare materia hominis se habeat antecedenter, & præuideatur ad animam rationalem, & quare rationalis animus materiae superuenire dicatur? sicut enim materia est independents à materia, cum ergo inter se ad inuicem non dependeant, neque vnum supponatur ad aliud, quo fundamento dicit Arriaga materiam præsupponi ad animam rationalem? Deinde illud, quod addit materiam scilicet præsupponi prioritate naturæ ad rationalem animum, falsissimum est, quia prioritas naturæ est prioritas causalitatis, & dependentiæ; sed anima rationalis non dependet à materia: ergo materia non est prior naturâ animæ rationali. Prædicatum maioris continet definitionem subiecti; consequentia est legitima: minor certissima, quia anima rationalis creatur, & non dependet à priori ab aliqua causa creata, neque à posteriori, cum in statu separationis naturaliter conseruatur sine materia. Imò ob hanc rationem forma deberet dici subiectum, quia licet non dependeat à priori à materia, in multorum tamen sententia dependet à posteriori, quia potest naturaliter sine aliqua forma conseruari, ac proinde materia dependet ab anima rationali, saltem sub distinctione, sicut ab aliis, quia sine aliqua illarum naturaliter conseruari non potest.

Respondent alij apud Arriagam suprà subf. 2. n. 20. materiam primâ dici subiectum formarum/substantialiū, quia per formam determinatur ad componendum potius hominem, quàm leonem, & ad operationes hominis, vel equi ad quas materia ex se est indifferens, & ex se quasi informis; forma verò non determinatur per materiam. Ratio est, quia forma naturalis per suam entitatem est determinata ad constituendum indiuiduum speciei hominis, & non potest per materiam determinari ad constituendum equum; sicuti materia potest determinari per formam, vt hominem, seu equum constituat, quod est esse subiectum informationis.

Hanc opinionem rectè impugnat Arriaga, quia ex eo quod possit esse materia determinata ad hanc speciem formam, sicuti multi de materia cœlesti satis probabiliter censent: ergo ratio materiae non consistit in hac indifferetia ad plura composita constituenda. Dices hanc numero materiam talem non esse, ac proinde posse ex indifferetia, quam habet, distinguì à formis. Contrà: ego inquiri conceptum materiae abstrahentem ab hac materia, & ab omni alia possibili: ergo per hanc inoifferentiam conuenientem materiae: quæ de facto datur, non potest quæstioni fieri

satis

fat. Si dicas non posse dari de potentia Dei absoluta materiam non indifferentem ad formas diuersas producendas, id sanè sine fundamento contra communem sententiam negabis.

22 Secundò eandem sententiam aliter impugno. Potest Deus creare formam substantialem indifferentem, vt vnatur materiis specie distinctis, & consequenter constituat composita specie distincta, sicuti de facto gratia habitua-  
lis, quæ est forma accidentalis indifferens est ad constituenda composita accidentalia specie distincta, quia indifferens est, vt vnatur animæ rationali, & Angelo, & est compositum specie distinctum; quod resultat ex anima rationali, & gratia, ab illo, quod resultat ex Angelo, eademque gratia, composita enim ex diuersitate essentiali, cuiusque partis essentialis, sicuti est subiectum, diuersam fortitur essentiam: ergo ratio constitutiva materiæ non consistit in hac indifferentia, quæ etiam formæ conuenire potest.

23 Dices, gratiam habitualem semper constituere gratum subiectum siue Angelum, siue rationalem animum, ac proinde per se esse determinatam ad eundem effectum formalem subiecto prestandum. Contra: diuersum gratum constituitur ex gratia habituali, & animæ rationali, ac ex eadem gratia & Michaële: ergo diuersum effectum formalem tribuit forma secundum subiectorum diuersitatem. Antecedens probatur: gratum essentialiter dicitur duo, subiectum, & formam, utrumque essentialiter concreto, cuius essentia ab utriusque essentia, & vnione non distinguitur: ergo quodcumque illorum sit specie distinctum, compositum illam diuersitatem in se habebit, quia habet omnia prædicata, quæ in illius partibus tam materiali, quam formali includuntur: ergo ex diuersitate subiecti, quod gratum denominatur, rectè inferitur diuersitas huius concreti, seu compositi grati: ergo diuersitas effectus formalis prouenientis à forma, qui nihil aliud est, quam totum compositum per illam constitutum.

24 Sapientissimi Magistri è nostris docuere, non esse de essentia materiæ primæ virtutem receptiuam formarum, neque terminatiuam vnionis ad illam, sed tantum constitui per principium passiuum operationum compositi, & formam per principium actiuum earundem. Dispicet hæc sententia in primis, quia negat potentiam quam habet materia, vt formæ vnatur, esse de illius essentia, quod falsum esse facillè probatur. Materia prima vt materia prima formaliter sumpta est pars materialis compositi: sed pars, vt pars essentialiter dicitur ordinem ad totum componendum, & ad illius compositionem, seu vnionem terminandam altera comparet: ergo materia prima, vt materia prima essentialiter dicitur respectum ad vnionem, virtutemque terminatiuam illius. Dicunt virtutem hanc communem esse materiæ & formæ. Sed quid inde? animal commune est homini, & equo: ergo non est essentialiter equo: male inferes. Secundò assignabo terminabilitatem vnionis propriam materiæ, quæ formæ non sit communis.

25 Dispicet etiam constitutum materiæ assignatum, quod sic impugno: Anima rationis est principium passiuum intellectuum, & volitionum: ergo non est proprium materiæ esse principium passiuum operationum. Respondent intellectiones, & volitiones non esse operationes compositi, sed animæ, ac proinde etiam si illarum non sit principium passiuum materiæ prima, dici potest principium passiuum operationum compositi. Contra: Animus rationalis, vt rationalis est, materiæ vnatur, vt ostendam Controuerf. 1. prima de anima, & dum illi est vnitus exercet operationes intelligendi, & amandi dependenter à materia; ergo sunt operationes totius compositi, siquidem proueniunt ab anima vt vnita materiæ, & vt constituyente compositum, & dependenter à materia exercentur. Vt ergo: potentia intellectiua, quantumuis independens sit à materia, & propria sit animæ, dicitur potentia totius compositi; ergo potiori ratione illius operationes dicuntur operationes compositi. Probo antecedens: essentia hominis est esse animal rationale: ergo rationale, quod formaliter dicit potentiam ratiocinandi, est principium hominis. Quid enim propriis hominis, quam illius essentia? ergo potentia intellectiua est propria hominis: ergo illius actus, qui maiorem dependentiam habent à materia. Neque refert rationale quod est essentia hominis dicere potentiam formalem, aut radicalem ratiocinandi: si enim potentia radicalis ratiocinandi, quæ est ipsa anima, pro-

pria hominis dicitur potiori iure potentia formalis, quæ si à radicali distinguitur, est animæ superaddita, hominis potentia dici poterit. Mitto in opinione huius Magistri, quam ego defendo, non dari potentiam radicalem, sed animam esse potentiam formalem suarum operationum, nullâ aliâ potentia superaddita. Rationem à priori doctrinæ quam tradidi subiicio. Totum nihil aliud est quam vtraque pars cum vnione, ac proinde nihil habet, quod non habeat ratione partium, cum quibus identificatur, & propter hanc identitatem, si anima potest intelligere, iure optimo dicitur hominem posse intelligere, si anima de facto intelligit, eadem ratione dicitur hominem intelligere, quia intelligit id, quod est identificatum cum homine.

Est tamen, dicantur operationes compositi, reliquæ sensationes materiales, & non operationes pertinentes ad potentiam, quæ in statu separationis potest operari: ex quo capite probatur sensationes brutorum recipi in materia; & non in forma; nullum efficax apud huius sententie patronos lego, & oppositam defendam Controuerf. 3. de Anima Punct. 1. vbi dicam sensationes materiales in compositis quorum forma est materialis, hanc tanquam subiectum inhesionis respicere.

Recentiores alij ingenio acuti docuere, materiam primam dici subiectum, quia est radix impenetrationis, & quia forma illi vnatur tanquam impenetrationis radici illam materializanti, formam verò non esse radicem impenetrationis, sed illam habere à materia. Multa occurrunt contra hunc dicendi modum. Primò, gratis dictum est materiam primam, & non formam radicem esse impenetrationis, quia impenetratio, seu quantitas sequitur prædicatum corpori, ita vt si daretur corpus simplex, quod non haberet materiam, neque formam, illud esset impenetrabile.

27 Secundò, in multorum opinione, quantitas oritur à toto composito, & in illo accipitur, & etiam in materia recipiatur, adhuc sub lite manet, an producatur à materia, vel à forma. Demum etiam si in materia recipiatur, & producatur ab illa, forma ita exigit quantitatem, vt ad illius exigentiam, si forma virtutem actiuam non haberet, Deus produceret quantitatem, quia forma corporea exigit tanquam dispositionem quantitatem, & quia anima est actus corporis Physici, & organici, & deorganizationem exigit, quæ essentialiter includit quantitatem. Vltimò probabo Controuerf. 5. non repugnare compositum essentialiter constans materiæ, & formæ spirituali, quod neque ratione materiæ, neque ratione formæ esset impenetrabile.

### §. III.

#### Propria sententia.

28 Reiectis aliorum sententiis, alius superest nobis dicendi modus. Affero materiam formaliter dicere partem essentialem compositi perfectibilem per aliam partem mediâ vnione, formamque ex conceptu quidditatio habere esse partem essentialem compositi, vel naturæ perficientem aliam partem mediâ vnione. En conceptum materiæ, & formæ substantialis, explico per ordinem ad compositum, ad quod vtraque primariò, & per se ordinatur, & per virtutem terminatiuam vnionis diuersam formaliter in materia, & in forma, quia virtus terminatiua vnionis in materia respicit vnionem tanquam extremum perfectibile, & de facto perfecturum materiâ mediâ terminatione actuali, seu mediâ vnione ipsius formæ ad materiam. Hucusque tota antiquitas meam sententiam nobilitat. Est enim vna antiquorum vox, materiam esse quid perfectibile per formam, & in hunc sensum materiam quid informe appellabant, ita omnes Philosophi tam Peripatetici, quam Platonici. Peripateticorum Dux Aristoteles id tradit 1. Physic. cap. 1. text. 69. vbi materiam primam quiddam informe appellat 1. de Generat. cap. 2. text. 17. vbi statuit materiæ primæ essentiam in potentia sitam esse. Idem testatur Plato in Timæo, vbi materiam primam gremium siue conceptaculum omnis speciei, & qualitatis expertis appellat. Longum esset referre alios plurimos ex antiquis apud quos idem loquendi modus semper inualuit, & inter Thomistas nihil frequentius, quam materiæ